

te, dignitate, magnitudine quam quibus illi modulati
sunt, canerent. Sic autem scribit *Fabius*: Dii immorta-
les, quanta est in hoc Poeta rerum omnium scientia,
quanta in omni genere dicendi varietas, quanta vis,
quanta copia? Non est in hoc, ut in cæteris plerisque,
verborum volubilitas inanis: sed ex infinita magnarum
rerum, & artium cognitione efflorescunt atque redun-
dant nervosa illa & prope divina carmina. Consideret
aliquis artes, quæ sermonis & orationis sunt, reperiet
sanè Grammatica inibi, Logica & Rhetorica. Nulla
enim orationis figura, nullius verbi idonea positio, ne-
que deflexio, nihil neque rectum, neque versum commemo-
rari potest, cujus in isto non sit exemplum. Oratio
Homeri est ampla, copiosa, plena, ac *Ciceronianæ* in suo
genere proxima. *Homerus* est jucundus, inquit *Quinti-* l. 10. c. 1.
lianus, & gravis, tum copia, tum brevitate mirabilis: nec
Poetica modò, sed oratoriâ virtute eminentissimus. Et
plura ibi leguntur, quæ brevitatis studio prætermitto.
Neque verò Ethica tantum in Poetâ nostro reperiuntur:
sed etiam quæ ad naturalem Philosophiam spectant: vi-
delicet *Protheum* ipsius, omnia sese mutantem in mira- *Odyss.* 4.
cula rerum, & captu difficilem, de materiâ primâ inter-
pretari possumus: quæ omnibus rerum formis recipien-
dis apta est: nec, nisi analogicâ quadam ratione, intel-
ligi potest. Quam gnarus etiam Mathematicarum re-
rum fuerit, facile demonstrare possem, nisi ad *Cleptam-*
midion dicerem.

Quod ad Theologiam attinet: scimus, ei, ut Eth-
nico, quidem veri Dei notitiam, veramque hujus colendi
rationem defuisse: statuit tamen numen, & ejus providen-
tia, & id colendum existimat. Ut quum *Menelaum* ne sa- *Iliad.* 4.
gittâ interficiatur à *Pandaro*, custodiri devinitus facit.
Juris etiam, rationem, & controversiarum decisionem,
quon-